

De oudste particuliere oorkonden van Werden (Ed. Blok) Nr. 66

In Christo patri Altfrido, gratia dei episcopo, emptori, ego Gunthard et Athiluuini venditores. Constat nos tibi vendidisse et ita vendidimus, id est comprehensionem nostram in silva que uocatur Uuiterouuald quam comprehensionem homines tui una nobiscum circuierunt et nouis signis obfirmauerunt; et accepimus a te pretium pro ea, sicut inter nos conuenit, hoc est libras III, in ea ratione, ut post hunc diem ipsa comprehensio ad proprium uestrum monasterium pertineat, quod uocatur UUerthina, et quicquid ex ea facere uolueris, ab hac die liberam et firmissimam habeas potestatem.

Si quis vero, quod fieri non credimus, hanc uenditionis cartulam infringere temptauerit, iram dei incurrat et a liminibus sanctorum alienus existat, et hec uenditio firma permaneat, stipulatione subnixa.

Acta in UUerthina monasterio tertio decima kalendas augustus, anno incarnationis dominice DCCCXLVIII, regnante Hloduuuico iuniore anno VIII, indictione XI, feria sexta. Isti sunt testes qui hoc audierunt et uiderunt. Ego Liudbaldus humilis leuita rogatus scripsi et subscripsi. Signum Gunthardi. Signum Athiluuini qui hanc traditionem fieri rogauerunt. Signum Bernharii. Signum Meinhardi. Signum Heribratti. Signum Reinhardi. Signum Bernuuini. Signum Hrodger. Signum Nunnoni. Signum Irmunfridi. Signum Erkingeri. Signum Helmfridi.